



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Pati est Hominis Inevitabile Fatum**

**Neissen, Johann Adolph**

**Coloniæ Agrippinæ, 1721**

Pars Prima. Deus Cruces decernit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49134)





# PARS PRIMA

*Deus Cruces decernit.*

**T**erna producam à Deo Trino & Uno supremæ cœlestis Curiaë, de amplexanda Cruce, sive Decreta dixerò, sive Placita aut Effata: quocunque nomine veniant; accedent undique Suprema Authoritate suffulta: ab æterno Deo Patre, & Deo Spiritu Sancto, sedentibus pro tribunali in lege naturæ & veteri, à Deo Filio, jus dicente, & quem Salvum faceret, quærente, in nova lege gratiæ, singula hujus Sacratissimæ TRIADOS placita definitiva, cum clausula Psalmi 88.

*Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.*

## DECRETUM

à

PATRE ÆTERNO

Humano Generi jus dicent.

*Genes. 3.*

**A**B ipsa Mundi Infantia, contra vix creatum, mox peccatorem, re-

**A**

um-



umq; hominem, decretum à Deo conceptum, in Paradisi pomario publicatum; atque ad arborem scientiæ boni ac mali, si non re ipsa, saltem fictione juris, affixum fuit, quando Adam & Eva, insanum esurientes, epulabantur infelici pomo.

*Specimen Facti.*

**N**OVI Paradisi hospitibus, Progenitoribus nostris Adamo & Evæ, Viperinum instruxerat jentaculum personatus Serpens: utque è ter felicibus, quales conditi erant, Semideis, ad augustissimam paremque cum æterno adorando Numine, Majestatis sublimitatem, quam serpentis caliditate seducti, jam tum spe superba devorarent, ambitiosi devenirent; porrigunt ad exemptam arborem manum, explodunt Dei mandatum, negligunt officii debitum, negant fidei clientelatis obsequiũ, carpunt fructum, comedunt pomum, exitialem deglutiunt bolum. Quid facis Adame? quid appetis Eva? pirum? pomum? an Dei solium? Ingrati! Perduelles! eritis sicut Dii? mendacium callidi serpentis est: quin  
eritis



eritis creaturarum omnium Mundi  
longè miserrimi. Cognoscetis omni-  
scii bonum & malum? hæc Viperæ im-  
postura est: veluti bruta animantia ig-  
norabitis bonum, & malum patrabitis  
velut depravati dæmones. Nunquid  
recordaris, quid comminatus sit tibi  
Dominus? de ligno scientiæ boni &  
mali ne comedas, in quocūq; enim die,  
comederis ex eo, morte morieris, Cor-  
pus tuum hujusque & ratio concordab-  
bant; post hac invicem reluctabuntur;  
nulla carneã tuã massam in valetudo  
unquam aggravasset, nunc morborum  
sexcentorum subjectum erit. Florebat  
ad obsequium tuum arbor vitæ, ad re-  
parandas continuò naturæ vires; nunc  
harum defectum resarcire non poteris.  
Fuisse fructus integrè sanitate cõtina  
nunc ægri tudinibus obrueris innume-  
rabilibus: denique ex antlatis extremis  
doloribus, timoribusque horribilibus  
fractus, defereris in terram, ex qua for-  
matus es, & conderis Sepulchro. O  
Miserabilem beatæ sortis tuæ vicissi-  
tudinem, Mundi Princeps Adame!  
& alma Mater Eva! tolerabilius multò



foret isthoc grande malum, si vestrum utriusque ætate terminatum, universam simul progeniem, totamque securam posteritatem, non pertraheret secum in ruinam. At ecce, adventat Paradisi portis Creator Deus: num pro more, cum Adamo spatiaturus veniat; an criminofum in jus conventurus accedat, mox hora dabit.

*Jus Dicitum.*

**U**Bi es, inquit, Adam? ubinam moraris Eva? Adam fugit; veritus patibulum, quærit latibulum, insequitur fugientem Eva: circumspicit folia, ut regat nuda corpora: sed frustra: prodeundum est; standumque ad tribunal. Comparet demum citatus Adam, sequæ Judici sistit prævaricatrix Eva. *Et dixit Adæ Dominus: quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris Pane; donec revertaris in terram, de qua sumptus es: Quia pulvis es, & in pulverem revert-*



*Inevitabili.*

5

verteris. Hæc fulmina feriebant Adamum, Evæ porrò hoc amplius durum intonabat Numen: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries Filios, & sub viripotentate eris, & ipse dominabitur tui.* Prolatis hisce, in utrumque Caput nostrum sententiis, transmittitur membris utriusque Sexûs, mortalibus omnibus malum: & natura humana universa, isthoc hereditario depravata vitio, subjicitur calamitati.

*Perstringamus singula ad scopum spectantia.*

*Maledicta terra in opere tuo;*

*Spinæ & tribulos germinabit tibi.*

Alma tellus, quæ pro congenita sibi fertilitate, omne frugum fructuumq; genus absque ulla sui Cultura, progerminasset ubertim, postquam maledicto perculsa fuit, alteravit indolem, & liberalitatis oblita, sterilitatem induit; eò usque parca, ut nunc etiam probe culta, adhuc dubia hæreat, nùm omnino necessaria viventibus alimenta velit restituere. Interea lolio, Spi-

A 3

nis



nis, tribulisque, segetum pestibus, tam dense obsidentur horti, agri, campi; ad frugem recepti, ut nisi sementem suam extinguere, suffocarique patiatur agricola, in adulterinis hisce partibus eruncandis, totus esse cogatur. Quod si vero Tellus nullo maledicto steriletceret, adhuc locum in rerum natura invenissent, & spinæ, & tribuli: pro sua nimirum plantarum varietate, ad decorandum Universi complementum, in lucem fuissent protracti, nemini nocuissent, profuissent pluribus, ad obsequium stetissent omnibus. Ex ea verò tempestate, qua dictum Protoplasto Aratori; spinas & tribulos germinabit tibi, in opere tuo Maledicta Terra; non tantum in sceleris patrati pœnam ad malè ferendum hominem reum, damnosè animantur plantariæ isthæ spinosæ arbusculæ naturales, verùm etiam propagine nobis infeliciter foecunda, pullulascit indè spinetum morale, ex quo arbores spinis graves, ad Cœlum usque proceras, longè latèque excrescere, nostro malo persentiscimus. De his loquitur Ludovicus Blo-

Blo-



Blofius, p. 4. §. 5. *Plenus est Mundus spinis, in Terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. Spina falsus Frater, spina Vicinus malus.* Talem Davidi exhibuit Iese Nabal, quem facer textus lib. 1. Reg. cap. 25. Virum durum, & pessimum, & malitiosum compellat: de quo Salius Anno Mundi 2977. n. 27. ait: ea erat morum perversitate, ut quasi rubum aculeatum nemo posset impunè tangere: idque significant illa verba 1. Regum, cap. 25. vers. 17. *& ipse est Filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui:*

Divus Basilius hom. de Paradiso, apposite in rem præsentem loquitur: *Rosa hic spinis est conjuncta; tantum non appertanos voce contestans & dicens: Quæ jucunda vobis sunt, O Homines! tristibus permixta sunt. Nam verè in humanis ita comparatum est, ut nullum eorum sincerum sit, sed confestim lætitiæ & hilaritati conglutinetur mœstitia, conjugio viduitas, Puerorum educationi cura & sollicitudo, fœcunditati abortus, vitæ splendori ignominia, prosperis successibus*

*sibus*



sibus dispendia, deliciis Satietas, Sanitati infirmitas. Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit: quoties florem hunc video, peccati mei admoncor, propter quod terra, ut spinas ac tribulos proferret, condemnata est. Ita Basilius contemplatur roslam inter vepres enatam, unum rosetum quàm multas non alit spinas? quot non præbet aculeos: est rosa solatiorum Mundi Imago genuina: Caduca voluptas mille post se trahit amarores. Nulla voluptas sincerior, quàm voluptatibus carere posse. Nolo solarium, cui certa succedit desolatio: malo tristitiam, quam sempiterna excipit lætitia. Mecum senties, quisquis sanæ mentises. Quid ad hoc Adæ Progenies? cur terræ sterilitate turbaris? quid spinis irasceris? isthæc tua, Heredis necessarii, à Patre Adamo prima dos est: sic sapit serotinum pomum.

*In Sudore vultus tui vesceris pane.*

**S**udor ille, si clibano conclusus, subiectis premeretur ignibus; ut distillando, quæ ipsum conflant, mineralia exhibi-



exhiberet, utiq; stillaret, tam copioso ærumnarum profluvio, ut in turbulentum miseriarum Pelagus, maræque nigrum exundaturus, videri posset. Omnes omninò Mundi calamitates hoc sudore miscentur: vitam nobis molestam, laboriosam, tædiorum plenam, decretum hoc sudoriferum præfagit. Unde hortatur Sanctus Augustinus, serm. 12. ex addit. *Surge, ara terram, ut possis habere unde vivas, quia sequitur te sententia damnati Adami: In labore vultus tui edes panem tuum. Cum autem transferit omnis labor & gemitus, erimus in terra viventium. Nihil ibi nascitur & crescit, quidquid ibi est, eodem modo est, sic est semper.* Indicat huic Augustinus, non nisi in altera beata, sibi que constante vita, fore finem laborum: in hac commoratione ærumnosa, non sperandam quietem; laborandum, sudandum esse.

At inquis; facile concessero, quod decreti illius rigor, comane vulgus & infimum genus hominum, sudore suo propius contingat: Sed quæ unquam vitæ ducendæ necessitas, bene opulen-



tis, virisq; Principibus, Regnorum, Provinciarum, terrarumque amplissimarum Dominis, sudorem exprimet? hac certè ætate nostra. Nemo sacrorum Præfulum cum Petro fatigatur piscando; ut alimoniam paret. Nemo cum sedulo Paulo, conopæis texendis operam collocat, ut victui provideat. Nemo egregiorum Pugilum, militumque strenuorum, cum Cleanthe putei rotam versat; ut corporis egestati succurrat. Nemo eruditorum, cum Plauto ad Clibanum laborat, ut vitæ consulat. Nemo virorum Principum, stupendos Jovis Filii, inter Divos relati Herculis amplectitur labores; ne inopia laboret. Forte fatigatur quis immoderatiore saltatu, concitatiùs sese agitans multifaria corporis conversione: ast hoc volupe est. Forte quis in decursione equestri post plures in sublime saltus, in gyrum agens equum, sudorem sibi elicit: ast hoc voluntarii exercitii, non operis necessarii est. Fortè in umbrabili pugna, dum gladios impigre stringunt, & armis arma pulsant, dimicantes sudant: ast hoc ludicrum est.



est. Fortè quis villosi quadrupedis venatu intemperato, feram ita consecratur; ut & Venator, & canes & equi, omnesque agitadores operi insudent: ast totum hoc singulis perjucundum est.

Quisquis nunc demum ita argumentaris; pace tua dixerim, hallucinaris. Apud Ecclesiasten c. 1. appellantur, ut verè sunt. *Cunctæ res difficiles.* Res divitum amplæ; spinosæ simul & difficiles: Res Principum magnæ; simul graves & difficiles. Res Regum maximæ, simul molestæ ac difficillimæ. *Non potest difficultatem isthanc Homo explicare sermone.* Porro inquit Ecclesiastes, ego fui Rex Israel in Jerusalem, & proposui in animo meo quærere & investigare de omnibus, quæ fiunt sub Sole: Vide cuncta, & ecce universa vanitas & afflictio Spiritus. Deditque cor meum, ut scirem prudentiam & doctrinam, & agnovi, quod in his quoque esset labor, & afflictio Spiritus. Dixi ergo in corde meo, vadam & affluam deliciis, & fruam bonis, &

coa-



coacervavi mihi argentum & aurum  
& substantias Regum ac Provincia-  
rum: feci mihi delicias filiorum Homi-  
num, & omnia, quæ desideraverunt  
Oculi mei, non negavi eis: nec prohi-  
bui cor meum, quin omni voluptate  
frueretur, & oblectaret se: cumque  
me convertissem ad universa opera,  
& ad labores, in quibus frustra suda-  
veram; vidi in omnibus vanitatem  
& afflictionem animi, & idcirco tra-  
duit me vitæ meæ, videntem mala  
universa esse sub Sole; & cuncta vani-  
tatem & afflictionem Spiritus. Cuncti  
dies hominis, doloribus & ærumnis  
pleni sunt; nec per noctem mente qui-  
escit. Ita Salomon, rerum expertus,  
diserte loquitur de sudoribus nostris:  
ut ambigi diutius non possit, quin in  
felicitatis terrenæ sinu, horridæ enu-  
triantur tempestates; & res quævis  
mundanæ tantundem mæroris, labo-  
ris, sudorisve afferant, quantum feli-  
citatæ ostendant. S. Chrysostomus ex-  
perientiæ suffragatur, monens: *Non  
ita Caput Regium circumdat corona,  
sicut animam sollicitudo: nec in satelli-*  
*tum*



tum catervam, sed in molestiarum multitudinem spectes. Ad quæ respiciens Cæsius Arelatensis serm. 2. inquit: quid prodest, si exteriora nostra serenitas teneat? & interiora tempestas?

act. 1. Ludit:

Præclare Seneca in Agamemnone  
Nunquam placidam sceptrâ quie-  
tem,

Certumvè sui tenuère diem,

Alia ex aliis cura fatigat,

Vexatque animos nova tempestas.

**N**ON semper extra, quod radiat  
jubar, splendescit intra. Sudant  
Crassi & Cræsi in acquirendis servan-  
disque divitiis: sudant Catones & Ly-  
curgi in negotiis & consiliis: Sudant  
Sardanapali in periculis & insidiis: Su-  
dant Hanibales in inimicis & hostibus:  
Sudant Cæsares in conspiratione &  
præsidis. Verbo omnis Adæ soboles  
in sudore vultus, vescitur pane.

*Multiplicabo ærumnas tuas;*

*In dolore paries Filios,*

**Q**UOD insuper Evam, & sexum  
cum ea fœmineum præter com-  
munia

munia



munia ceteris mala singulariter tangit, alterum decreti membrum, quam in posteras translatum sit verè, ingemiscens fatetur, dolenterq; experitur deploranda Progenies. Tanta est hujus mali acerbitas, ut Deus ipse, in Sacro passim codice afflictionem prægrandem indicaturus, ab angustia prægnantis parientisq; puerperæ deducat comparisonem. *Isaiæ c. 21. v. 3. Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis.* *Isaiæ ca. 26.* sicut, quæ concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis; sic facti sumus. *Ieremiæ c. 6.* Tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. & *Jerem. 16.* nunquid non Dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? *Esdrae 16.* quemadmodum prægnans, appropinquante hora partus, dolores circumeunt ventrem ejus, & non tardabunt uno puncto. Sic non morabuntur mala ad prodeundum super terram: & sæculum gemit, & dolores circumtentebunt illud. Hi parturientium dolores, alibi ipsis adeo atrocissimis

nis



mis inferni tormentis, æquiparati notantur. Innocentiæ statum si Progenitores nostri conservassent; nec culpa vitiaisset conceptum, nec dolor infestasset partum. Neque enim, ut hac de re dislerit Augustinus, *sub Deo justo, miser esse quisquam, nisi mereatur, potest.*

*Sub viri potestate eris:*

*Et ipse dominabitur tui.*

**N**Unquam Eva Adam Imperio fuisset subiecta, si stetit in gratia: sed ei, tanquam primævo humani generis primipilo, suoq; amabili marito, voluntate omninò propensa, magno decore, in omnib. obsecundasset cum gaudio, ipse etiam Adam, nullo sibi arrogato in confortem Dominio, suavissima eam humanitate ac prudentia amœnitate plena, ut caput Orbis ac Mundi Princeps, moderatus fuisset gratissimè. Etenim, ut Augustinus in Gene. lib. II. c. 37. *Maritum habere Dominum meruit mulieris non natura, sed culpa.* Itaque hic viri dominatus, quando iustus moderatusque manet, legis est, non tam naturalis, quam pœnalis: si  
verò



verò imperiosus & tyrannicus evadat; omninò præter naturam & punientis Dei ordinem, flagitiosus existit, jure merito excutiendus à fœmina. Hæc verò, si concordi viro dominari tentaret, contra naturam ageret; & monstrum velle producere, videri posset, quod grammaticos imprimis expugnet: quemadmodum de Quintina Marito suo imperante, observandum distichum, Grammatici notant:

Ducit, agit miserum, quo vult  
Quintina, Maritum.

Grammatici, fugite hinc: hæc  
Vir, & hic Mulier.

S. Thomas 1. p. q. 92. a. 3. *Conveni-  
ens fuit, inquit, mulierem forma-  
ri de costa viri: primò quidem ad sig-  
nificandum, quod inter virum & mu-  
licrem debet esse socialis conjunctio;  
neque enim mulier debet Dominari in  
virum, & ideo non est formata de  
Capite: neque debet à viro despici tan-  
quam serviliter subjecta, & ideo non  
est formata de pedibus. Sat pomum  
gravat, dum sub viri potestate con-  
stituit.*

*Dilui-*



*Diluitur Posterorum Gravamen.*

**M**ultum deplorant ac lamentantur Adæ & Evæ Nepotes, quod multiplicatæ originarii mali calamitates, posteritatem totam subsequantur. De quo S. Augustinus in Enchirid. cap. 25. de Adamo: *Post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam; quam peccando in se tanquam in radice, victiaverat pœna mortis & damnationis obstrinxit. Sed nec morum, inquit lib. 3. cap. 12. contra Julianum, nec injustum est, quod radix pro damnata, damnatos. Et sermone 14. & 16. de verbis Domini: Secundum propaginem carnis, in Adam eramus omnes, tanquam in Patre, tanquam in radice, tanquam in fonte: sed in radice perimus, de fonte traximus malum, & rectè dicitur filios in Parente fecisse: quoniam quando ipse fecit, in illo fuerunt: ac sic ipsi, atque ille, adhuc fuerunt.*

*Offertur Compromissum.*

**T**Et Optimus, ter Maximus Deus; Cum hæc tui Decreti dictata jura prævideret ab inferioribus animæ facultatibus, habenda potius intolerabile jugum, quàm

**B**

jugi-



jugiter sancendum jus & æquum, largiter condixit nobis actionem arbitrariam, qua, ut quod causam nostram sustinere posset, libere producamus, indulget. Isa. 43. v. 26. inquit: *Judicemur simul, narra si quid habes ut justificeris.* Quid amabò enarrabimus? quid habemus, ut justificemur? undè sumus? qua domo oriendi? Nihil fuimus: ex nihilo lutum creavit Deus, ex luto formavit hominem: Sic ex nihili barathro educti, quid juris habemus; quo causam instruamus? Nunquid se lutum opponet Creatori tuo? & homo ex luto formatus, insurget contra figulum? Isaia cap. 45. v. 9. & 11. *Hæc dicit Dominus Sanctus, Israel, Plastes ejus: Vae! qui contradicit victori suo, testa de Samiis terræ! nunquid dicet, lutum figulo suo, quid facis? & cap. 43. v. 1. Hæc dicit Dominus, creans te Jacob, & formans te Israël; vocavi te nomine tuo: meus es tu. Ego Dominus Sanctus vester, creans Israel, Rex vester. Excolueram vobis Paradisum voluptatis, in quo ad omnium amœnitatem, beatis suparem ageretur ætatem: Sed Pater tuus primus peccavit, v. 27. Hinc nunc ego Dominus loquens*  
*justi-*



justitiam, annuntians recta in memet-  
ipso juravi: egredietur de ore meo justi-  
tiæ verbum, & non revertetur: quia mihi  
curvabitur omne genu: meæ sunt justitiæ,  
& Imperium & ad eum venient & con-  
fundentur omnes, qui repugnant ei. Hinc  
Esdras lib. 4. cap. 3. cœpit loqui ad altissi-  
mum! O Dominator Domine! tu plan-  
tasti terram, & hoc solus: dedisti Adam  
corpus mortuum! sed & ipsum figmentum  
manuum tuarum erat: & insufflasti in  
eum Spiritum vitæ, & factus est vivens  
coram te: & induxisti eum Paradiso, quem  
plantaverat dextera tua, antequam terra  
adventaret: & huic mandasti diligere vi-  
am tuam; & præterivit eam: *Statim in-*  
*stituisti in eo mortem & in nationibus e-*  
*jus.* Hac deductione piaculi, Cadimus  
causa; & jure meritissimo subjicimur  
malo.

Nihilominus,

*Formatur Instantia gravaminis:*

*Sed & levatur.*

**D**emus, ad eundam fuisse posteris,  
prævaricatorum Parentum suorum,  
B 2 aggra.



aggravatam hereditatem : Nunc verò à gratiosè regeneratis Progenitoribus nostris, in quibus Univerſorum facta est remiſſio peccatorum, nos renati, quid mali, malè trahimus;

Augustinus lib. 5.

De nuptiis, cap. 19. *Fatemur*, inquit, mirum est quemadmodum à peccati vinculo per gratiam liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, & quod dimiſſum est in Parente, trahatur in prolem : miris quidem modis fit, sed tamen fit : *hec invisibilia & infidelibus incredibilia, sed tamen vera.* Ut haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbutis Divina providentia procuravit. Quot latent fœtus Oleastrorum in seminibus olearum? quando & hoc crederetur, nisi experientia probaret: quod ex oliva, non oliva, sed oleaster nascatur. Proinde sicut gignitur ex oleastri semine, oleaster; & ex oleæ semine, non nisi oleaster; cum inter oleastrum & oleam plurimum distet; ita gignitur, & de carne peccatoris, & de carne justi, utrimque Peccator; quamvis inter peccatorem & justum distet



ret plurimum: gignitur autem peccator actu adhuc nullus, & ortu novus, sed reatu vetus. Aliud non inconueniens huic rei, de qua agitur, exemplum adducitur de segete: purgatur enim à palea triticum, sicut homo à peccato; & tamen inde cum palea nascitur alterum. Viti etiam est labrusca dissimilis, quæ tamen de semine vitis gignitur. His subjungit Augustinus: & cur non credamus hæc ideo voluisse Creatorem, ut crederemus etiam semen hominis posse vitium de gignentibus trahere, quod in eis, à quibus gignitur, non est. Quid denique præputii retinet circumcissus? de quo præputiatus tamen gignitur: & quod jam non erat in homine, trahitur in hominis semine: trahit præputium proles, quod jam non habet parens; caruit, & tamen tradidit: amisit & tamen transmisit. Et hoc præputium peccatum significat: Ergo & ipsum potest in parentibus interire, & tamen ad filios pertransire:

Acquiescendum itaque verbis Ecclesiastici cap. 40. occupatio magna creata est omnibus hominibus & grave jugum super Filios Adam: à die exitus de ventre

B ;

ma-



matris eorum, usque in diem sepulturæ  
in matrem omnium; Residentes super  
sedem gloriosam, usque ad humiliatum  
in terra & cinere: ab eo, qui utitur hya-  
cintho, & portat coronam, usque ad eum,  
qui operitur lino crudo. Adeoque  
hoc viget, nunquam abrogan-  
dum Geneseos decretum:  
summi, medii, infimi,  
omnes hæredita-  
riò patiemur.

ab

Adamo &amp; Eva.

MONI-



MONIMENTUM

pro  
Adversis Casus nostri.  
Jugi memoriâ  
A D A M O  
positum.

Hic ille ego, unus jaceo, per quem  
unum jacent omnes,

A D A M  
Terræ Filius;  
Patris expers;

Matrem habui, quæ me habet.

Cum omnia scirem, ut plura discerem;  
desipere cœpi.

Beatæ silvæ dum fructum carpo,  
Silvam amitto.

Ex Rege agricola:

Quia Numen non colui, Terram colui,  
Uxor me immortalem peremit;

Uxorem Ego;

Nos ambo omnes.

Tum verè Conjuges, cum uno jugo vincti,  
Posteritatem omnem,

Heu luctus! heu dolor!

unâ

Vinximus, subjugavimus.

PLA-



# PLACITUM

à

## DEO FILIO

Ad Crucis consortium omnes provocante. Matth. 16.

*Si quis vult venire post me &c.*

**H**ucusque steterimus ad magnum Tribunal legis veteris, apud Deum Patrem: nunc & novi juris recentiora placita, excipiemus à Dei Filio.

Christus Deus Filius, non quidem ut Judex major, ex judiciaræ potestatis compulso, (neq; enim venit judicare, sed salvare Mundum) verùm, ut integerrimus humani generis Patronus & assertor; (de quo Augustinus ait; hodie hortatur te, ne judicet te: & qui judex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus) apud Matth. cap. 16. de causa nostra sic disceptat. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Videtur quidem ex verbis, *si quis vult*; actionem stricti juris non velle



velle inducere; interim tamen, à Mar-  
 cocap. 8. exhibetur *hæc duplica*: con-  
 vocata turba cum discipulis suis, dixit eis:  
*si quis vult me sequi, deneget semetipsum,*  
*& tollat crucem suam, & sequatur me.*  
 Quinimò apud Lucam c. 9. legitur *Triplis*  
*ca*: Dicebat autem ad omnes; si quis vult  
 post me venire, *abneget semetipsum, &*  
*tollat crucem suam quotidie, & sequatur*  
*me.* Et nescio, an non quadruplicatio ha-  
 benda illa sit, conditionatè saltem imperi-  
 osa Joannis 12. *Si quis mihi ministrat, me*  
*sequatur.* Ac si diceret: aut te jactare desi-  
 nas ministrum meum; aut me sequere no-  
 lo ministrum, vel volo habere sequentem.  
 Sanè Matt. 10. ejusmodi *compulsoriales* a-  
 pertius adhibet: *qui non accipit crucem*  
*suam & sequitur me, non est me dignus.*  
 Quis enim se volet Salvatore suo indig-  
 num reddere? si nemo: ergò jam non arbi-  
 trarium manet, sed necesse fuerit, cruce  
 sublata, cruentis filii Dei, patientis Christi  
 vestigiis, fideliter inhærere. Instat deniq;  
 per Apostolum, & miseræ hujatis necessi-  
 tatem prodit, affigendo palam actorum  
 14. *hanc peremptoriam placiti sui Tabulam:*  
*Quoniam per multas tribulationes oportet*



tet nos intrare in Regnum Dei. Tò oportet, legem sancit: advertamus itaque paululum propinquius, quid isthæc à nemine non Evangelistarum, tam sedulò signata verbi æterni oracula, nobis pandant: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.* Tria indicantur, abnegatio sui ipsius; amplexus Crucis, & sequela Domini. De singulis singillatim.

*Abneget semetipsum:*

**V**idelicet illum in semetipso, à primogenia noxa prædominantem Adami nepotem, de quo Apostolus ad Colossenses 3. *Ex poliantes vos veterem hominem cum actibus suis:*

Quales actus enumerat, fornicationem immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, avaritiam, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem, mendacium. Quæ nisi secerantur monstra, Superi! quam portentosa in comitatu Christi conflarent symmata. Hisce primùm remotis, porrò adhortatur Apostolus; induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ; benigni-



benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem; & induentes hominem novum secundum Imaginem ejus, qui creavit illum: Qui, quæ sursum sunt quærat, ubi Christus est, quæ sursum sunt sapiat, non quæ super Terram. Hoc enim vero est abnegare seipsum; mortificare membra sua; comprimere inordinata desideria; passiones indomitas refrenare: Dum enim sumus in carne, docet Apostolus, passiones peccatorum operantur in membris nostris, ut fructificent morti: ne quid fructificent, abnega te ipsum. Pergit idem Doctor: scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; invenio volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: abnega te ipsum, & desinet adjacere malum. Condelector legi Dei, Secundum interiorem Hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, captivantem me in lege peccati: abnega te ipsum; mortifica membratua, & non captivaberis.

Quid sit  
abnegare  
se.

Verum hic mihi videor audire sollicitas  
plero-



plerorumque voces, qui unà cum Paulò multum ingemiscant; infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, quis mihi ad malè insurgentium affectuū sedandos motus? quis ad passionem potentissimarum frangendos insultus? quis denique ad cœce sollicitantes illecebrarum repellendos; pruritus, verè masculum, quod hic requiritur, robur, promptè ingenerabit? gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum; ita & sibi, & tibi, quisquis talia moves, respondet Apostolus; Gratia Dei, per illius ipsius suppetias, qui te, ad temetipsum adhortatur abnegandum: gratia Dei, per illius absolutam potentiam, qui potens est omnem sufficientiam abundare facere in nobis: gratia Dei, per illius fortitudinem invictam, in quo, dum nos confortat, possumus omnia. Magno igitur conatu, assumendus est animus ad hanc de semetipso abnegato reportandam victoriam, non Sanctam minus & gloriosam, quàm summè salutarem & maximè necessariam. Si enim, Romanorum octavo. *Secundum carnem vix eritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quare, quo quisque vivat, semetipsum abneget. Ab-

*Abnegatio sui est necessaria*



Abnegatio porrò istiusmodi duplex exercetur: alia exterior, in Corporis, carnis ac sensuum afflictationem tendens, interior alia in erumpentium animi motuum, mentisq; effervescentis lasciviam comprimendam domandamq; Vergens: utraq; ad sectanda Christi vestigia, necessario requisita: nec una, absq; altera subsistere diu potest. Verum quidem est, quod perfectio ac sanctitas non consistat in exterioribus huiusmodi vexationibus, jejuniis, vigiliis, ciliiciis, aliisve spontè susceptis pœnis, quibus marceratur Corpus: quæ etiam cuncta inani vanæque gloriæ ac hypocrisi, periculose manent obnoxia, sunt tamen, si ritè moderatèque adhibeantur, potentia ad perfectionem media; fortia virtutum fulcimenta; suffragantia cœlestis gratiæ promerita.

Quantùm verò ad abnegationem interiorè attinet; illa nunquam non est certum solidæ veræque pietatis indicium; & præ exteriorè apprimè necessaria: neque ullus unquam erit, qui eximere sese ab ea valeat. Hæc est illa vis, quam paritur Regnum cœlorum, quod violenti rapiunt. Non æquè omnes possumus jejunare



nare, portare cilicia, pœnitentiis nos affigare; aut nemo unus est, quin possit suppressere vocem; quando aut læsus animus, aut gloriosa vanitas verba suggerunt. Nemo est quin possit inordinatæ naturæ suæ inclinationi, desideriis, ac cupiditatibus frenum injicere: & hoc est illa abnegatio, qua amor proprius triumphatur. In vanum blanditur nobis, quod amemus Jesum Crucifixum, si abnegationem hanc nobis tantopere commendatam negligamus. Miramur quod pluribus armis, post tot pietatis opera, tot virtutum exercitia, tot frequentatas communiones sacras imperfectionibus nihilominus obruti, cor inquietum, continuis rebellantium passionum procellis agitatum circumferamus: quin tandem advertimus turbidos hosce animorum conflictus, ab unico abnegationis neglectu, velut ab una sede, debacchari. Oportet itaq;, ad effervescentem amoris proprii restinguendum æstum; in quo, velut in igne Salamandar, omnes cupiditatum nostrarum affectus enutriti roborantur, generosam fortemq; insurgentium animi motuum cohibitionem domitumque adhibere. Nec satis est,  
pro



pro hoc vel illo solummodo tempore, & in hac vel illa re, pro libitu abnegationi vacare, sed quovis eidem tempore, omni loco, cunctisque in rebus, prout discretio suggerit, & prudentia permittit, consequenter inhaerere oportet, unica voluntati noxiæ, cupiditæque immoderatæ concessa indulgentia, natura in se depravatas amplius laxat habenas, quàm sexcentæ prius victoriæ, ab eadem non penitus edomita reportatæ, cohibere valuerint. Arma ponere; pacem colere cum hoc inimicorum genere; est palmam hosti porrigere, victoriam sponte concedere, absque hoc continuo mortificationis exercitio, nemo sibi, nemo Deo, ut salus exigit, conjunctus vivet. Honestas morum, conversationis decor, affabilis comisque humanitas, ab ipsa sæpè educationis liberalitate proficiscuntur, sunt verò semper mortificati hominis & signum, & præmium: quo quis sibi indies similis, perfectè, quæ agenda sunt, exequitur: ac in quovis rerum eventu, divinâ voluntate contentus, in placida mentis tranquillitate, felix conquiescit. *Abnegat ergo quisque semetipsum.*

*Tollat*



## Tollat crucem suam.

**C**alamitates gravissimæ, quæ nomine Crucis, sub qua gemendum humanæ profapiæ, intelligendæ veniunt, Ecclesiastes ad dogmatis sui exordium, capite 1. 2. 3. & 4. generatim recensere continuat. Vidi, quæ sunt sub Sole, & ecce Univerſa vanitas, & afflictio Spiritus. Vidi afflictionem, quam Deus dedit Filiis hominum, ut distendantur in ea: Vidi Calamitates, quæ sub Sole geruntur; & lacrymas innocentum; & neminem consolatorem; nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos; & laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorum utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub Sole fiunt. Ita sanè est, in eo versatur Orbe, cujus omnes latebras permeat calamitas: Sunt miseriæ communes omnibus sunt & cujusque, status sexusque propriæ: Suum quemque malum premit: Sua cuique Crux aptatur domi: Et hæc est illa, ad quam tollendam, tam suaviter tamque potenter quisque sollicitatur.

*Quid nomine Crucis intelligatur?*

*Crux evitari non potest.*

In



Incaſſum ſubtrahuntur humeri; fe-  
renda Crux eſt, quid diu multumque  
reluctamur? naſcimur ad ærumnas:  
educamur ad miſerias, velis licet re-  
miſque fugias, non effugies: ubique  
adverſitates; ubique & intus & extrâ  
circumſtrepunt mala: nullâ viâ, nul-  
lâ induſtriâ, nullo unquam conatu, ca-  
vere quis poterit, ne miſer ſit. Hoc uni-  
cum, quod poſſumus, agendum reſ-  
tat cavere; ne impatienter miſerias ex-  
cipiamus: atque ita tanquam contuma-  
ces ſupremo Numini, multiplicemus  
noxas, conduplicemus pœnas, & mala  
aggravemus; Secundum Salomonem  
prov. 19. *Qui impatiens eſt ſuſtinet  
damnum.* S. Chryſoſtomus hom. 84. ad  
populum, hiſ conformiter inquit: *Sive  
velis, ſive nolis, calamitatem patiens:  
quod ſi gratè, maximè lucraberis: ſi  
verò agrè & impatienter feras, non  
minorem facies, ſed majorem reddes  
procellam.* Jam pridem Poëta cecinit:  
non eſt malum, malum patiat neſcire  
malum pati; hoc malum eſt. In eundem  
ſenſum apud Laërtium lib. 4. cap. 7.

*Impatien-  
tia evit-  
anda.*

C

Philo-



Philosophatur Bion : magnum', imò maximum malum est, non posse perferre malum. Erit allevatio quædam malorum omnium, necessitatibus malorum obsequi, crucem suam amplectari; scire, posse, & velle cum Christo pati. Excidimus jam dudum Paradiso; quid delicias sectamur in exilio; nobis Mundus crucifixus est, & nos Mundo, ad Gal. 6. Tolle igitur, tolle crucem tuam, & pergamus ad Romanos 8. ut submissa Creatori voluntate nostra, verbis Apostoli generosè concludamus: propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos: qui & monet Lucæ 21. v. 19. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras,

*Et sequatur me.*

**L**iceat liscitari, quo? qui se in pedes dant, primum omnium interrogant, quò ibimus? malè metuo; ne si innotescat iter nostrum, mox repariatur haud dispar Petro, probus Satanâ;



na : qui benevolentia innocenti motus, conetur quovis modo, ejusmodi ausum dissuadere. Et ilius Dei, antequam ad sui sequelam invitaret discipulos; declaravit iter, & itineris patefecit arcanum. Matth. 16. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus Sacerdotum; & occidi, & 3. die resurgere. Deum immortalem! hoc, quale iter? quis timeretur Petrum, si hominem ferventem novit, quod Dominum dehortatus fuerit? assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens: absit à te Domine, non erit tibi hoc, & Dominus conversus ad Petrum, ut converteret Petrum, perorare incipit. Audulemus tantisper Oratorem. Vade post me Satana: scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt; sed ea, quæ Hominum: qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam.

C 2

Venit

Quò sequenda.



*Christi  
Peroran-  
e sexordi-  
um ex ab-  
rupto.*

*Matt. 16.*

*Proposito  
& confir-  
matio. 70.*

*12.*

*Peroratio  
ibidem.*

Venit hora, ut clarificetur filius homi-  
nis: amen, amen, dico vobis; nisi  
granum frumenti, cadens in terram  
mortuum fuerit, ipsum solum manet:  
si autem mortuum fuerit, multum  
fructum affert: qui amat animam suam  
perdet eam, & qui odit animam suam  
in hoc Mundo, in vitam æternam cus-  
todit eam.

Nunc ab auditoribus ad se ipsum  
convertitur Orator, ac sic perorat. A-  
nima mea turbata est: & quid dicam?  
Pater salvifica me ex hac hora? sed pro-  
pterea veni in horam hanc: nunc ju-  
dicium est Mundi, nunc Princeps hujus  
Mundi ejicietur foras. Proh! quam est  
arduum hoc iter! quam erit difficilis se-  
quela! Dux ipse, viarum molestiis lassat-  
us, turbatur animo; vix non relegit  
gressum: Patrem appellat; judicium  
Mundi horret: tantum non salvari  
primam horam postulat. Ast mox assur-  
git animus: propterea inquit, veni in  
horam hanc, ut paterer: sic Pater jubet;  
patiar: si quis mihi ministrat, me sequa-  
tur: Hierosolymam tendimus ad Mundi  
oculum, passionis nostræ theatrum.

O mor.



O mortales! hic jam seriò res geruntur: quid agimus? ducimur Hierosolymam ad clivum olivarum, non ram oleo, quam sanguine doctum sudare: ubi præparatur aloë, vivitur myrrha, absinthites bibitur, hic amarus dolor, acerbus mœror, mordax angor, inquietus sopor, molestissima tædia, animi afflictationes intimæ, horrida mentis desolatio, ad mortem usque lancinans tristitia, nos simul invadent: ibi funes, catena, vincula, captivitas, associabuntur viæ comites, seseque violenter ingerent non invitati perquam onerosi hospites.

Quid si ad ingressum Oliveti subsisteret quis cum majore discipulorum parte? aut certè torpore gravatus, indulgeret somno cum aliis; quo hisce malis sese nonnihil subtraheret? Frustra sumus, excitabimur à vigilante Domino!, & justa in nos reprehensio increpabit: Siccine non potestis una hora vigilare mecum? una horrula durare ac mecum pati? quid est vita vestra? vapor ad modicum Parens; quanta est ad eam,

*Brevitas  
vita nos-  
tra.*

C 3

ad



*Nunquid  
arduum  
erit unica  
hora Chri-  
sti sequi.*

ad quam via hac nostra tendimus, æternitatem comparata! non hora est non quadrans horæ, non momentum; & non potestis illa vitæ vestræ nequidem horula, nec quadrante, nec momento durare mecum, pati mecum? ut glorificemini mecum? quid remanetis? quid recusatis me sequi? vulnera, probra, Cruces reformidatis: vitam, honorem, corporis animique commoda, conservare intenditis. O Stulti! hac nocte, (quia non est vobis momentum vitæ) repetam animas vestras à vobis, si quis voluerit; deserendo me, animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit illam propter me, inveniet eam. Quid proderit tibi, si universum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? quam dabis commutationem pro anima tua? pergas ergo, abnega te ipsum, tolle Crucem tuam, & non tardes sequi me.

Video dum ab horto Gethsemani cogitamus deflectere, accidet nobis, quod dictum Petro; Cum esses junior, cin-



cingebas te, & ambulabas, quo volebas: cum autem senueris, alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Existimarem profectò, nec fallerer, si Petrus homo suæ spontis foret, reduceret Dominum unâ nobiscum, ex luctifero Cupressorum colle, ad montem peramcœnum Thabor, ubi bonum erat esse: & propè delineata ibidem Palatia, tria Tabernacula, nobis habitanda exædificaret. Nunc verò cum alius Dominum, & in Domino Petrum cinxerit, non abimus, quo volumus, sed quo nolumus, ducimur; imò cum victo trahimur, ad scribas, Pontifices, Præfides, simul omnes Phariseos, execrandam Diaboli Curiam. Hic quidquid invidiarum, rancorum, injuriarum, furiarumque domi est, armat sese ac bacchatur contra Dominum. Irrisiones, contumeliæ, probra, colaphi, sputa agglomerantur: quærantur testimonia falsa, judicia caduntur iniqua, omnis rei bene gestæ interpretatio sinistrè depravatur. Sæviunt in tergo flagra; grassantur in vertice spinæ; patibularia trabs Hominem totum,



gravi suo pondere, in terram proster-  
nit: erigitur Crux; acuuntur clavi;  
innocens configitur; transfoditur  
latus, elicitur sanguis, cor exani-  
matur; trucidatur vita; mors de-  
nique longé probrosissima, vix rabiem  
malefanorum exsatians, dura fata con-  
cludit.

*Sequi  
Christum  
est pati  
cum  
Christo.*

Quid ad hæc? Amicem mi? An  
tibi eousque Christum sequi, suppe-  
tit animus? rigidè admodum tecum  
agi arbitraberis. D. Augustinus  
tract. 51. in Joan. in illa Christi ver-  
ba: Si quis mihi ministrat, me se-  
quatur: quid est inquit, me sequa-  
tur, nisi me imitetur? Christus e-  
nim pro nobis passus est, ait Apos-  
tolus Petrus, relinquens nobis ex-  
emplum, ut sequamur vestigia ejus.  
Omninò ergo relegenda manent pa-  
tientis CHRISTI vestigia. Sed,  
quod minùs cordatum, dicam, deli-  
catum, juvare poterit; non omnes  
erimus aut Petri, aut Andreæ, in  
Crucem infamem pro Christo agendi;  
aut cum Paulo subjiciendi gladio: hoc  
Heroum est: Erunt inter nos Joannes  
quam-

*Sua eniq;  
Cruz ap-  
satur.*



quamplurimi, quem discipulum suum dilectum noluit Dominus mortem subire violentam : interim tamen proximè contristari debebat in agonia horti stare sub Cruce ; ad sepulcrum lugere , gustare venena , Exilia subire , persecutiones inimicas , afflictationesque sat crudas perpeti. Sic etiam nobis , quamvis ceterorum Apostolorum Martyrumve generosissimorum , atrocia tormenta , non adeo appropinquent , ut tangant & noceant : Erit tamen aliqua , sua cuique Crux , ita à Deo ab æterno attemperata , ut ipso adjuvante , & sufferri patienter possit , & omninò debeat. Adeoque expectatur quisque , ut sua instinctus Cruce , veniat post Christum , & sequatur eum. Hæc vitæ nostræ conditio est , non vivitur aliter : Sic Deus disponit ; Sic Salus exigit.

Quo fructu ? qua mercede ? quo præmio ? quærit Augustinus : respondet Dominus : ubi ego sum , illic & minister meus erit : & si quis mihi ministravit , honorificabit eum Pater meus.

*Fructus  
portatus  
Crucis*



Perpendit Augustinus responsum hoc præclare ad erigendum exiguum animi: *Ubi ego sum, ibi & minister meus erit: gratis, (suadet,) ametur, ut operis, quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo*: Ubi enim bene erit sine illo? aut quando esse malè poterit, cum illo! & honorificabit eum Pater meus: quo honore? nisi, ut sit cum Filio ejus: nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus? quam ut sit, ubi est unicus? non æqualis factus Divinitati, sed consociatus æternitati.

O inexpectatum & incomparabile servitorum nostrorum præmium! quis unquam ausus fuisset, non dicam postulare, sed vel remotus à pudore sperare tantum, tam eximium, verèque divinum obsequiis suis salarium? Ubi ego sum, illic, minister meus erit: ubi Dominus, ubi filius unicus est; ibi & servus, & minister, jam Filius adoptatus erit.

O ter beata! terque exoptata Crux,  
& afflictio nostra! quantumvis terque  
qua-



quaterque dura & aspera : quis non ve-  
lit venire post Jesum ? tollere Crucem  
suam ? Sequi & servire illi ? à quo talia  
solvuntur comistra, tam am-  
pla elargiuntur charis-  
mata : & eviterna  
comparantur  
palmaria



EFFA-



## EFFATUM

à

## SPIRITU SANCTO

Clathratis miseriis miserias,  
 à Cunis mortalium, ad tumbam usque,  
 Producente, Jobi 14.

**V**isum est Supremo Numini, Suum  
 de sorte hominum Sapientiæ æter-  
 næ consultum, instaurare apud Jo-  
 bum, virum rectum, timentem Deum,  
 virum inter omnes orientales magnum;  
 percussum ulcere pessimo à planta pe-  
 dis ad verticem usque sedentem in  
 sterquilinio, subdiali scilicet prætorio;  
 undè velut excompetente rerum cadu-  
 carum tribunali, divino afflante Spi-  
 ritu, adversus humanum genus, *acti-  
 one mandati*, fatale hoc pronunciatum  
 declamat: *Homo natus de muliere, bre-  
 vi vivens tempore, repletur multis mi-  
 seriis: caro ejus dum vivit, dolebit;  
 & anima illius, super semetipso luge-  
 bit.*

Cum



Cum rigidam pronunciati hujus executionem, in se suisque notassent olim Pagani, hærebant attoniti: quoniam, ut observat Augustinus; rem viderunt, causam nescierunt. Ingenio quo præpollebant sagaci, facile concludebant oportere hominem, rationis lumine è cælo decoratum, animantium ceterorum Regem ac Dominum prærogativis naturæ favoribus, supra creata cetera, suo quodammodo jure, consequentia gratiosa gaudere. Interim, dum nati hominis ortum; & bruti cujuscunque animalis ex alvo projectum, alterum cum altero, inter sese comparando componunt: nihil reperiunt humano partu miserabilius, nihil felicius propagine bruti.

*Pagani  
mirantur  
hominis  
conditionem.*

In exemplum hic ducitur Agnellus, innocentia sibi congenita amabile pecus: ut primum in lucem editur, erectus consistit pedibus, circumspicit Orbem, respicit matrem, suam ex millibus agnoscit; accedit ad osculum, blanditur, amat & amatur: mox quærit lactantia vasa, invenit, pressa lacte fluunt; lactatur dulcissimus agnellus, convivium re-

*Felicitas  
agnelli  
nati.*

cum



cumbit : epularum satur, obambulatione recreandus, invitatur ad viridia praeta, generitici adhæret, jam praet, jam sequitur, jam ad latus exorbitat : mox stat, mox ambulat, mox currit, mox exsilit : nunc recedit, nunc redit ad matrem, aut pendens ex collo, aut sinu fortus apricatur in sole : inter amplexus & brachia matris suavissimè conquiescit omnia bellè habens, à primo suo statu, beatulus agnellus.

*Miseria  
nati ho-  
minis.*

Homo è contrariò, membris plane omnibus captus & mancus, imbecillitate : tam perdita, producitur in Mundum, ac si natura communis, non mater ejus, sed noverca, eaque jurata inimica foret : invalidus totus, viribus nullus, languens nervis, convolvitur fasciis, praclarus scilicet ille viventium regulus, Mundi decus, naturæ opus absolutissimum divinitatis epitomen : tam ignorat quid sit, quàm quid non sit, quam ubi sit ; nec matrem novit ; nec, quo se juvare possit, recogitat, unum didicit, plorare. Sic de semetipso Salomon : lib. Sap. cap. 7. & ego natus primam vocem similem omnibus emisi plorans : nemo enim



enim ex Regibus aliud habuit nativita-  
tis initium, unus introitus est omnibus  
ad vitam & similis exitus. Hinc Plinius  
histor natural. lib. 7. in proœmio sic in-  
fert: Jacet manibus pedibusque devin-  
ctis flens animal ceteris imperaturum ;  
& à suppliciis vitam auspiciatur, unam  
tantum ob culpam, quia natum est. O  
dementiam hominum existimantium  
à talibus initiis, ad superbiam se geni-  
tos !

Græciæ sapientes, Platonici, Aristo-  
telici, alique gentium Philosophi, pon-  
derantes gravissimam isthanc humanæ  
vitæ miseriam; non vitam, sed mortem  
dicendam esse judicabant: quippè quod  
omnes illius ætates, ab ortu ad occasum  
usque, continuis aggraventur ærumnis,  
traducantur lacrymis, gemitibus con-  
ficiantur. Sublimia hæc ingenia, non  
poterant sibi Deum, nisi summè justum  
ac bonum repræsentare, ex unâ parte:  
ex altera verò, natura inclamabat uni-  
versa, hujusmodi calamitosam vivendi  
necessitatem, condemnationis alicujus  
notâ esse, ac vicem supplicii gerere. Hic  
jam

*Commen-  
tum de  
miseria  
hominum*



*Hetruf-  
corum  
crudelita-  
ti, equi-  
paratur  
humana  
miseria.*

ja n miris modis fatigabant sese sagaces  
mentes; ut Deorum immortalium in-  
violatam servarent clementem justiti-  
am, & tantorum malorum radicem  
aliquam innata latentem deprehen-  
derent, cumque ipsis, unà cum fidei lu-  
mine, incognitum esset originale pec-  
cati contagium, aliud solerter adinven-  
tum veluti arcanorum divinorum con-  
ficiis altiusq; ab astris illuminati oracu-  
lorum explanatores, pro roborata sua  
authoritate, statuerunt piaculum, me-  
tempsocholim, quo unico verbo ani-  
marum è corporibus in corpora trans-  
migrationem indicabant. Animos vi-  
delicet nostros, aliàs alibi flagitiosè vix-  
isse, omnique pœnarum genere, & qua-  
vis suppliciorum atrocitate, dignos sese,  
obnoxiosque reddidisse; nunc carneæ  
massæ denuò immisos, renasci repro-  
ducique in Mundum, ad prioris scele-  
ratae vitæ luenda expiandâque crimina.  
Quin imò, quemadmodum quondam  
captivorum, qui in prædonum Hetruf-  
corum manus incidissent, corpora viva  
cum mortuis, adversa adversis, frons  
fronti, os ori, pectus pectori, quam ap-  
tissi-



tissimè accommodata colligebantur, donec tandem viventia, contagioso cadaveris putore, ad ore tetro, lentaque lue confecta, horridè crudeliterque enecarentur: Ita animos nostros æqualis supplicii damnatos, corruptibilibus laniosisque corporibus, tanquam vivos cum mortuis compaginos, ætatem trahere funestam, lethiferasque mortalitatis ærumnas exantlare debere. Accessit ad hos Cicero, Romanus ille Plato, postquam multa, quæ videmus & gemimus, de hominum infelicitate dixisset in extremis Hortensii dialogi partibus, velut ipsa rerum experientia ductus compulsusque sic inquit: ex quibus humanæ vitæ erroribus & ærumnis fit, ut veteres illi divinæ mentis interpretes, aliquid vidisse videantur; qui nos ob aliqua scelera, in vita superiore suscepta, pœnarum luendarum causa, natos esse dixerunt: verùmque sit illud, quod est apud Aristotelem, nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos.

D

Non.



Nonne, [verba sunt Augustini lib. 4. contrà Julianum, cap. 15.] qui ista senserunt, grave jugum super Filios Adam, & Dei potentiam Justitiámque viderunt? videntur autem non frustra Christianæ fidei propinquasse, qui vitam istam fallaciæ miseræque plenissimam, non opinati sunt, nisi divino judicio contigisse: tribuentes utique justitiam Creatori, à quo factus est, & administratur hic Mundus. Quid enim illi didicerant de primo homine Adam & ejus Conjuge? de prima eorum prævaricatione, & serpentis astutia? quid tale audierunt, quale illud est, quod ait Apostolus, Rom. 5. per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, harum literarum illi atque hujus veritatis expertes, quid de hac sapere potuerunt?

*Miseria  
animi.*

Hæc de gentium Philosophis, quos nihil de primi hominis peccato, vel scientes, vel credentes, ipsa calamitatis humanæ evidentiâ compulit, tam vicinè veritati accedere divinûmque  
Jobi



Jobi profatum vel ignorantes compro-  
bare. A cujus exulcerato tribunali an-  
tequam recedemus, postulant postre-  
ma decreti denunciati verba: *& ani-  
ma illius super semetipso lugebit: ut*  
luctuosam Apostoli, alioquin sat cor-  
dari nœniam, Secunda ad Corinthios  
5. v. 8. præcinamus. Non volumus vos  
ignorare Fratres de tribulatione, quo-  
niam supra modum gravati sumus, su-  
pra virtutem, ita, ut tæderet nos eti-  
am vivere. Indicantur his tam Jobi,  
quàm Pauli lamentis, afflictiones  
animorum internæ, quibus, quo-  
cunque corporis cruciatu, longè ac-  
erbioribus, recitati decreti vigore,  
humana stirps castiganda subjicitur,  
aggravato ictu. Sunt hæ, si nescis,  
tristitia. mœror, pavores, timores,  
angores, tædiæ, quibus per sæpe adeo  
occupatur desolatus animus, ut ni-  
hil jam sapiat, allubeat nihil: & sine  
ullo consolationis affluxu incidat cum  
Rege Antiocho 1. Machabæorum c. 6. v  
8. in languorem mortis, dicatq; in corde:  
*in quantam tribulationem deveni, &*



*in quos fluctus tristitiæ? in qua nunc sum.* Rogabimus aliquando cum isaia cap. 22. v. 4. *Recedete à me, amar è flebo; nolite incumbere, ut consolemini me.* Ita denique decreti à Spiritu sancto per Jobum in nos lati inconcussa veritati & observantiæ propriis Jobi verbis cap. 10. subscribemus: *Tædet animam meam vitæ meæ, dicam Deo noli me condemnare: indica mihi cur me ita judices;*

*Job ore & opere promulgat decretum.*

Job verè stupendum patientiæ prodigium, suas præconis partes egregiè adimplevit, non promulgando solum verbis, sed & exemplo proprio in praxi exhibendo, multijugam profati sui stabilitatem. Nuntius venit ad Job, qui diceret; *Boves arabant, & asinæ pascebant juxta eos; & irruerunt Sabæi tuleruntque omnia: & pueros, id est, famulos percusserunt gladio, & evasi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves puerosque consumpsit, & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Sed adhuc illo loquente, venit alius & dixit: *Chal-*



Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos; nec non & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille; & ecce alius intravit & dixit: Filiis tuis & Filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor Angulos domus; quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt: Et effugi ego solus, ut nunciarem tibi. Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite, corruens in terram, adoravit & dixit: nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Ad hæc egressus Satan percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus: qui testâ saniem radebat sedens in sterquilinio dicebat etiam ei uxor sua: adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere: ipsa & amici multum exprobrabant illi. His uxoris & amicorum contumeliis, amissione bonorum omnium, & sanitatis, veluti appposito sigillo, decretum à se publica-



tum consignat, ac subscribit: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Ad quam Jobi humillimam patientiam conversus Dominus, addidit omnia quæcunque fuerant Job, duplicia: vixitque post flagella hæc, centum quinquaginta annis; & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem: & mortuus est, senex & plenus dierum stabilis verbo & exemplo Spiritus sancti effatum: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis. &c.

Atque hic esto  
 Calamitatis declarandæ  
 F I N I S  
 Et  
 Initium  
 Comparandæ solidioris Patientiæ.

PARS